




Thomas South,

Digitized by the Internet Archive  
in 2010 with funding from  
Research Library, The Getty Research Institute

<http://www.archive.org/details/prognosticatioex00para>



PROGNOSTICATIO  
EXIMII DOCTORIS  
THEOPHRASTI  
PARACELSI.

AD ILLVSTRISSIMVM  
ac potentissimum Principem Ferdinandum Roman.  
Regem semper Augustum atque Archiducem Austriae  
conscripta. Anno 1536.

# MARCVS TITIVS

## AD LECTOREM.

**S**I cupis astrorum fælices scire meatus,  
Arcanisque simul mystica verba notis.  
Quid sacra venturos promittunt sydera in annos,  
Et quod portendunt spesve metusve sciet.  
Humanis pariter quo terrens omine mentes,  
Nos moueat clemens ad pia facta Deus.  
Concitus æthereo doctor Theophrastus ab æstro,  
Diuite mirandis hæc docet ore modis.  
Vt caueat quisunque malum mala fata minantur,  
Omnino hic nullum nominet illa virum.



P R Æ F A T I O  
PROGNOSTICATIONIS  
DOCTORIS.  
THEOPHRASTI  
PARACELSI.

O C R A T E S olim cum de curiosa admodum inuestigatione rerum cœlestium, humanarum, & earum quæ ante pedes erant, oblitus disputaret. Quæ suprà nos nihil ad nos pertinere significabat nimis anxiā & superstitionis speculationem esse vanam, vacuam, atque nociuam. Sic enim fieret ut aliquis suo periculo aliquando edoctus ab eiusmodi studio auocaretur. Verum mediocritatem vndique in Platone, & laudat & commendat. Quî enim fieret ut is qui oraculo sapientissimus iudicaretur, fontem sapientiæ ac rerum omnium cognitionem cùm diuinarum, tum humanarum astroligiam calumniaretur, ipse Astrologus ad miraculum

doctus Platone teste. Nolo hic Astrologiæ encomium texere, per se satis à doctis laudatae. Hoc tantum dico, nullam esse artem quæ tam propriè diuinitùs tradita cdocta, ac monstrata sit. Legatur Moyses qui rationes reddit cur Deus firmamento Solem, Lunam, ac Stellas imposuerit, vt sint vobis ait in dies, Tempora, & annos; vnde Paulus huius mundi sapientes commendat, qui visibilibus his inuisibilem creatorem magnouerunt. Verum in hoc ille redarguit eos rursus, vt non coluerint creatorem super creaturam: Deus præcepit nobis, vt elementa inspiciamus & ab opere authorem cognoscamus colamus & adoremus. Sunt enim visibilia & quæ apparēt omnia, laruæ, ac inuolucra, quibus arcana, & naturæ abdita & secreta aperit: sic repertæ magnificæ artes, mirabiles in radicibus, lapidibus, & etiam hominibus, effetti ac natura quæ sagaci solertia ac industria proditæ sunt à doctis hominibus, quos Homerus & Hesiodus Alphistas & Meropes, hoc est, indagatores vocant: verum ne nimium cognitioni tribuamus humanæ, diuina ea est sapientia, quæ procedit à Patre lumen, vt Iacobus ait: nam quemadmodum litterarum notas prodidit Deus, quo animi sensus tum efferre ac significanter pro loqui poterimus, ita & per eas ceu per instrumentum omnes disciplinas quotidie tradit ac perdecet.

Et quia Deus sua mirabilia opera in usum hominum ita mirifice creauit, voluit etiam vt ea cognoscantur, scholam instituit, nō cuiuis penetrabilem; in qua sedulò discamus, ea quæ non appareant omnibus. Piscator ad se trahit sagena ex fundo alto, & multis millibus profundo pisces, quos nunquam vidit. Metallista & effosores opum proferunt massas auri & argenti è caueris terræ profundissimis, quo oculi acies numquam penetrauit: sic abstrusa quævis in sua natura scholâ Deus docet, & subinde ob oculos ponit. Quare nihil est usque adeò tectum, quod non reueletur & in lucem proferatur, siue sit in cœ-

Io firmamenti , in mari seu terra omnia referuntur sub  
dio, & id vt dixi per Alphistas hoc est indagatores ho-  
mines *Clarissimi* viri hodiè *volitant docta* per ora virum,  
qui coluere , atque in lucem naturæ artes prodidere,  
quorum memoria non intercidet , verum enim laude di-  
gnum musa vetat mori , viuitur ingenio cætera mortis  
erunt. Quare & nos pro modulo, ac dono nobis conces-  
so , consultis astris, voluimus post terga metentium artis  
huius spicas colligere , & naturæ & astrorum minas per  
quadraginta quatuor annos duraturas ostendere; vt ho-  
mines præmoniti discant timere Deum , vltorem scele-  
rum aliquando ferre. Dici non potest, quām omnis caro  
corrupit suam viam , sursum deorsum aguntur omnia,  
perturbantur , ac cœlum terræ miscetur, & nisi dies de-  
curentur iræ Dei, non saluaretur vlla caro. Mouit pro-  
fectò me nihil aliud vt astra paulo diligentius intuerer,  
quām hominum vita vndequaque soluta ac pessima.  
Sunt signa in Sole & Luna & Stellis venturi iudicii Dei,  
securis ad arborem posita est. Sanguis sanguinem tangit,  
vt Prophetæ ait non est qui requirat Deum, omnes inu-  
tiles facti, non est vsque ad vnum. Reuocant nos omnes  
Prophetæ prognosticatores & concionatores ad charita-  
tem, concordiam & vnitatem. Vnitas est in triade diui-  
na, trias reducitur ad vnitatem , sic in hominum societa-  
te, vnitati studendum, paci & tranquillitati , vbi excre-  
scit vnitatis in pluralitatem, ibi eruōtur dissensiones, lites,  
ac concertationes , quot enim capita tot sensus , velle  
suum cuique est, nec voto viuitur vno, in vnitate quies &  
abundantia pacis. Ecce quam bonum & quam iucun-  
dum habitare fratres in vnum Dauid monet, omnes crea-  
turæ gaudēt in vnitate, vnicâ est cœli harmonia, ac con-  
centus, vnicâ amicitiâ terra vegetatur, & fructum suum  
vnitate profert in tempore suo. Omnes obtemperant  
vnitati excepto Sathanâ, & homine, homine, signis cœli,  
Sole, Lunâ, & Stellis ad eam colendam admonētur qui.

dem; sed ipsi patui pendunt , quare & illis impendet, ac  
imminet interitus, & quidem repentinus, Beatus qui nō  
sedet in cathedra pestilentiae, & impietatis , & qui non  
ambulat in consilio prauorum, quoniam visitabuntur &  
breui, ira Dei est super eos , Atque quiuis eam in corde  
suo sentit adesse , & pœnam aufugere nec euadere pos-  
se. Nemo poterit Deum vincere in die furoris sui, durnm  
est aduersus stimulum recalcitrare. Deus exercituum est  
fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum super filios in  
tertiam & quartam generationem. Extrema demētia est  
aduersus Deum pugnare. Temerarij erant Gygantes qui  
Iouem cœlo deiijcere conabantur, verum disiecti ac ful-  
mine prostrati sunt. Iam hominum temeritatem & stu-  
titiam voluimus paucis, triginta scilicet duobus figuris  
perstringere. Vidimus enim peccatum Amorrhaorum  
completum , iniquitatem ad cœlum vsque clamare &  
ferre. Fit autem cùm omnia in summum deuenerint vt  
arcus nimium tensus in neruum abire solet, detrahantur  
homines velint nolint,in aliud vitæ genus submissius ali-  
quanto , & magno eorum malo : torquentur se mirabili-  
ter quidem donec finem sumat corruptio, sed quis ob  
id tristabitur ? appropinquat enim multorum salus &  
redemptio, ab omnibus malis. Quis enim ex animo non  
gestiret videre dies bonos , vnitatem reductam, sub vno  
pastore nos vñà viuere in pace. Aberit tum omnis im-  
portunitas & molestia; distillabit balsamum in barbam  
Aaronis , Benedictio, claritas , gratiarum actio à Deo  
super omne qui vnitati studebunt , exibit.

Odibilis erat in cœlis superbia , atque cœlestes spiritus  
in casu luciferi non male afficiebantur , sed iustitia Dei  
subscribebant ; quare nos deberemus dolere si Deus &  
hodie precipitat in infernum vsque superbos cogita-  
tione mentis ipsorum : vt diximus , gaudere potius de-  
beremus , quod à domo Dei incœperit iudicium & id  
super omne genus superbū prorogatur. Scopus fere

vnicus est, vt s̄æp̄e mōnuimis, nostræ prognosticationis, quod astra minentur interitum superbis, & elatis in mundo: velit semel oppressos suos ipse vendicare, & liberare, detrahere potentes, euehere humiles: initia dolorum hæc, sed nondum sunt confirmata, confirmabuntur ne pereatiustus, cum impio ne adducatur, ac seducatur.

Diximus etiam neminem nominatum in hoc nostro prognostico, Deus nouit, quos castigandos decreuerit ignoti sunt omnes coram hominibus, sentient quidem scelerosi citius, quam homines nos deprehendere & diuinare poterimus. Tecta sunt ea nobis omnia, reuelantur verò, Cabala occultat secreta & non pronunciat ertò quam matrem & inuentricem Astrologiæ esse aiunt. Tradidit enim Deus, quosdam; excœcauit oculos eorum; & indurauit cor eorum, ne videant oculis, & ne intelligant corde, & conuertantur & sanentur: hoc vero in fine proœmij omnes precor, vt cā didè omnia interpretentur, suspicione habent liberas, ne metu, ira, odio, aut inuidia moti suspicentur quosdam hīc esse notatos, donec pertranseat finis, tum postea declarent, quod dixerim, & rapiant quo voluerint.

Noui hac in re multos pronunciassæ etiam multa, quorum operam, studium & conatum non reprehendo, sed maximè promoueo. Video enim interitum minari astra multis monachiis; verum si homines essent prudentes, se ad Deum conuerterent, pius est & misericors facile precibus assiduis flectitur, Non enim necessitatem astris tribuimus, adducimur semper: sed si vult Dominus, auertit omnia solus. Iosue precatus est, vt sol staret, donec vltionem de inimicis suis caperet, voti factus compos, exauditus est. Ezechias solarium precibus retinuit. Helias precibus cœlum clausit. Multum valet deprecatione iusti assidua. Si qui velint aufugere pœnas astrorum quæ minantur, resipiscant, orent, piè ac


sobriè viuant. Quod ut fiat concedet nobis Pater per  
Filiū suum dilectum, in Spiritu suo sancto. Amen.

O V I D I V S   F A S T . 2.

*Fælices animæ, quibus hæc cognoscere primum,  
Inque domos superas scandere cura fuit,  
Credibile est illos pariter vitijſque iocisque  
Altius humanis exeruisse caput.*


FIGVR A I.

# FIGVRA I.




**I**N omnibus rebus est externa quedam nota, qua deprehendimus ea, quæ oculis non sunt subiecta hoc est interna. Sic & natura rei suos, rursum & magica suos habet, quos signat, sic & tu signum tuum proprium circumfers: vorandi enim studio flagras, atque expetis eos qui tecum nonnihil commercij habent. Terque quaterque beatus is omnis est, perpetuaque fruiturus quiete, cui omnino nihil est quod agat tecum: si verò sint qui tecum commune quiddam habere desiderant, pulchritudinem tuam, ac decorem tuum plusquam iustitiam & integritatem requirunt.

A



## FIGVRA II.




**Q**VI in vigore de terra florem cæteris omnibus  
præstantiorem educit, & eundem suo loco & tem-  
pore, aridum, floccidum, ac putridum efficit, sic & tibi  
accidit, hodie cum sis lily agri, cras (ut Christus inquit)  
in clibanum mitteris, hoc est in solitudinem, vastitatem,  
& exilium migrabis, atque in eam omnium rerum sub-  
missionem quæ plus solito te annis retroactis humiliabit,  
prudentia, consilio & timore Domini res tuas stabiles ac  
firmas fecisses, verum tua teipsum euertit astutia, Tibi  
exeendum est quod introieras.

A ij



# FIGVRA III.




**C**VM in pace tua te exatiare nolebas, inexplicable  
quod aiunt dolium eras. Impinguatus, incrassatus,  
dilatatus recalcitras, immenso onere, auaritia scilicet, su-  
perbia vitæ ac libidine grauasti te, insolentia tua destru-  
xit te, dissensiones ac motus tuos in te partitus es. Glo-  
riaris in malitia, qui potens es in iniuitate; Accedet  
itaque tempus tuum visitationis tuæ, humiliaberis,  
& in pristinum statum redigeris: resipisces quidem, sed  
huius resipiscientie non erit locus.


A ij




# FIGVRA IV.



**A**MOREM tuum à dextris & sinistris habebas verum ordine inuerso, atque eo consilio res tuas fore constantes arbitraris. Verum utraque pars angustiabit te, & odio ( quod aiunt vaticinio ) prosequentur. Idemque amor tuus quasi meretricius in tui capitibus exitium recidet, vergetque. Caput quidem te esse præsumebas, sed eris sine capite fabula, truncus & inutile lignum. Cogeris tu quidem hanc molestiam, hoc tedium, hunc contemptum deuorare, & eas quas ceperis esse testudines edere.




# FIGVRA V.



**S**APIENTIAM quidem rerum humanarum  
requirit corona regia, verum in te ea desideratur;  
diuersum enim designasti, clementiae oblitus, hominem  
exuisti; in tyrannidem prolapsus, insignia & enormia  
perpetrasti scelera; Lapis super te corruet, ac comminuet  
& conteret te, vltionem effusi sanguinis innoxij infliget,  
visitabit te, inquam, à meridie & ortu, quem  
egregie contemnebas: & adhuc quidem breui, non abi-  
bit annus, atque alter, neque erit ut confidas homini,  
in quo non est futura salus, fædera tua erunt irrita,  
nam & fæderati tui corruent.



# FIGVRA VI.



**O**DOR tuus grauis, non omnibus ferendus; tem-  
perabitur autem, si quando sol radios suos oppo-  
sitione densarum nubium, non usque adeo latè, & su-  
per te sparsurus est: vegetaturus nimirum posthac te,  
eo acrius. Initio tu quidem florebas, ac mirum in mo-  
dum triumphabas: consilium autem tuum amicos seiun-  
xit, ideoque constare non poterat: Verum tu inde in-  
signem reportabis actorum laborum laudem & victo-  
riam, nam ad te tu rediisse videris.

B. ij



# FIGVRA VII.




**M**AGICA rerum tuarum omnium interitum,  
signato præsignat lapide; tenuem quidem, &  
macram ductura es vitam, cum limite tuo egressus sis  
terram petas. Superioribus quidem annis pinguedine,  
opibus, ac voluptate exundabas, & vitæ superbia præ-  
fracta diffuebas: verum arcus nimium tensus in ner-  
uum abire solet. Mole tua ipsa corrues, te major effecta;  
plerumque enim fieri solet ut si quando pennas extra  
nidum extendere presumptuose gestiunt, turpiter subsi-  
dant: multisque calamitatibus adficiantur, quod quia te  
ipsum non agnoscis, in huius incides pœnam, qui regna  
transfert, ac destruit; alieno periculo nolebas cauere tuum.

B ij



# FIGVRA VIII.



**Q**VIS est in rerum uniuersitate , qui certo sciat , cuinam sol proiiciat radios ? hoc est cui tribuantur ea quæ alioqui hominibus præstare impossibile sit , et quia omnia in Dei manu potenti sita sunt , qui largitur quæ largienda sunt , cui vult ; frustra conantur homines aduersus stimulum ( quod aiunt ) recalcitrare : facescant itaque et valeant humana consilia , ea omnia inuenere terminum . Non est aduersus Dominum prudentia , nec consilium , nec potentia , peribis cum tuis ; si contra fluminis tractum niti conaris .



# FIGVRA IX.



**Q**VOD hanc bestiam truculentam, terrore ac timore ingenti homines horreant nunc, non sit sine numine diuino; verum habet & hic terror suum terminum. Nam ea ferula quæ super te diuinitus ordinata, tuam fractura est ferociam, atque saevitiam; planeque elumbem & imbellem te efficiet: ita etiam ut iij homines, qui tremore bestiæ huius percussi & admirabundi, in stuporem quasi rapti, dicturi sint: numquam existimassimus, quod hæc ferula tantilla tum subito domatura esset tantum (alioquin) ac tam efferum leonem: quare in omnibus finis est considerandus.



# FIGVRA X.




**V**ESTITVS tuus non est nuptialis, magica  
enim, cor tuum cucullis palliatum, mundo dete-  
xit, & quemadmodum aurum septies igne probatum &  
examinatum colatur; ita magis multo vexationibus ac  
tentationibus aggredieris, vexaberis ac colaberis. Con-  
temptus verò & opprobrium tuum non auferetur à te.  
Initio non considerabas te, impia exactione tua exu-  
gebas miseris, de manibus vero tuis rapina & paupe-  
rum sudor rursus exigetur, & tradetur; cui pertinent  
huiusmodi bona caduca & fluxa.




# FIGVRA XI.



**P**INGVI aqualiculo tuo distento ; orto tibi nimium felici sydere, hactenus saginasti te probè, curastique, quod aiunt, tuam cuticulam ; genio plus satis indulgebas, mella circumquæque vorans, dulcedine, otio, & voluptate abundè diffluens, verùm sapientis erat rebus prosperis aduersa prospicere, hyemis, inedia, atque calamitatum tuarum omnium futurarum pulchrè oblitus, ad extremam redigeris inopiam : ita quod talos tuos ipsos sugere tuoque quod aiunt, succo viçtitare cogeris; rationis itaque atque prudentiæ expers bestiæ similis effecta es.



## FIGVRA XII.



**N**E MO debet sibi temerè arrogare honorem sedis, primosque cum Pharisæis eligere accubitus: qui enim se extollit, humiliabitur. Ita tu honoratori loco locasti te, non cogitasti euentum tuum: cogeris cum rubore, periculo, ac perditione extremum occupare locum. Summus enim non erat tuus iure. Onus graue & importabile facta, corruet itaque S. P.. Cathedrae numerariorum euertentur, honores, opes, ac voluptatem quæsiuisti, à quibus excides, mercedem ab eis tuae vastitatis meritam suscipere ne graueris.



# FIGVRA XIII.



**N**IMIA indulgentia contemptum parit : sic cum  
praui homines alicuius boni viri benignitate abu-  
tuntur, sua stultitia se euehere conantur , accidit id quod  
virenti accidit gramine, fænifeca enim suo demit tempo-  
re. Si ratione , consilio , & prudentia res tuas gubernas-  
ses , non esse tuæ stultiæ daturus satis graues pœnas ;  
de tuo enim agitur corio , capitis periculum subibis , in  
discrimen vitæ , ac salutis tuæ adigeris , unde emergere  
non possis , sic qui in cœlum suis consiliis conscendunt , de-  
turbabuntur ac præcipitabuntur in infernum usque , ubi  
erit ploratus et stridor dentium.

D




# FIGVRA XIV.



**V**ERVM verbum est, omnes fieri nimia licentia deteriores: nam in maximas calamitates incidere solent, qui subditis plus nimio fræna laxant: fere fit autem, ut suo quis aliquando inguletur gladio, in foueamque incidit, quam ipse fudit aut fecit: Authore sue internecionis ipse: illa enim prælarga donatio ac prælarga concessio contumeliam, præfractionem ac superbiam parit, quæ postea in direptionem, lacerationem ac destructionem litterarum indultarum vergit, seduxit te cor tuum elatum ac fastuosum, non solum tuos, verùm etiam inferiores quosvis præ te contemnebas. Annihilaberis & tu.



# FIGVRA XV.



**A**BVSVS es immodica libertate tua: nam caput  
in terris agnoscebas planè nullum: atque adeo plus  
æquo in te ipso superbiebas, nihil verò est unquam tam  
sublime, quod non possit detrahi: imponetur itaque su-  
per te caput, & sub hoc capite ceu membrum in cor-  
pore seruies, & vnà cum reliquis membris totum susti-  
nebit corpus propter fastum tuum, quo in summum us-  
que tendebas: Occurret tibi quem non præuideras, atque  
consilia tua irrita faciet. Pacabitur autem hoc totum ne-  
gotium quando dormieris cum patribus tuis.



# FIGVRA XVI.



**R**E CTE Paulus ait: cum essem puer; vt puer lo-  
quebar , vt puer sentiebam , vt puer cogitabam ,  
factus verò vir , puerilia rideo , aboleo , atque contem-  
no. Sic hodie multi frustrabuntur puerili labore : scriben-  
dorum librorum nullus finis, ait sapiens , verùm tempus  
et celat et aperit omnia. Liquidò apparebit , quod pro  
croco sterlus , pro margaritis rudera , ac catarmata am-  
plexati fuimus : verùm in manus diripientium te inci-  
des , et ceu folium à facie venti auolabis , atque distur-  
baberis omnino , et nemo scit qui colliget te.




# FIGVRA XVII.



**S**APIENTIA architecti est, ut solidè aedes extruat, fundamentum firmum ponat, & ut Christus ait, super firmam petram aedificet, ne cum venti irruant, imber descendat, flumina veniant, aedes extrectas deijciant: deiectas rursum erigere tentet, diruet, aedificet, mutet quadrata rotundis: atque adeò id quod positum est, vi dixi, muniat ac fulciat, ne inimicus homo facile demoliri possit, idque quod solo æquatum est, rursus demolitor curet, ne reædificetur, & sic vtrorumq; stultitia appareat: multi exere multa, multi erecta destruxere, destructa verò reficienda sunt in finem rerum: non intendunt fragilitati, vanitati atque stulticie subiecta omnia: Omnia arenae commendant atque committunt.

E




# FIGVRA XVIII.



**A**QVILA non ex te oritur , ideo immittet in te  
ventum impetuosum , qui te vñà cum pullis tuis  
obruet , Hactenus quidem prospera v̄us es fortuna , for-  
tuna vero quem nimio fouet , stultum facit dicentem : ani-  
ma mea habes multa bona reposita in annos multos , re-  
quiesce , comedē , bibe , gaude , fruere bonis tuis . Nescis ve-  
rō quid serus vesper vehat , repentinus tuus imminet inte-  
ritus , hac nocte repetent à te animam tuam , quæ vero pa-  
rasti cui cedent ? dispergent austri res tuas præciosas : inun-  
datio diluuij suffocabit eas : non est enim vita hominis in  
abundantia illius ; omnia transitoria , Vallis umbræ mor-  
tis ac lachrymarum , cum sis mortalis , quæ sunt mortaliter  
cura .



# FIGVRA XIX.



**H**VMANA consilia te cuertent; imo ea tibi erunt  
omnia contraria, pulchrè tu quidem tibi places, tibiq;  
plus nimio indulges modò, amnes & montes transilire soles,  
paradisum nactus hortorum voluptatem; quod verò ratio-  
nis ac sensus communis expers sis, ac velocissimos tuos sal-  
tus male loces, tibi exeundum est, ea qua vides specie cor-  
rues. Refugia tua tunc te in mirum modum fallent. Imò  
ea vestigiis quasi canes odorata fera in sequentur te. Recor-  
dare itaque omnia humana esse vana. Respicce & agnosce  
te ipsum, atque tua impendentia mala considerato; nam  
leuius lèdit quidquid præuidetur ante. Emendes rerum  
statum statum omnem: nisi enim verum & decentem rerum  
statum obseruabis, vñà cum tuis peribis.



# FIGVRA XX.



**A**d inuentiones humanae tamdiu sunt duraturae quamdiu homines eas retinere possunt. Cum verò destitutus, solus sustinet suis viribus, superiora in inferiora hæc conuerti necesse est, hoc est suis frustrari cogitationibus. Et huius mundi sapientiam, summam apud Deum fieri stultitiam, inquit enim, perdam sapientiam sapientum, & intelligentiam eorum reprobabo. Sapientia solius Dei constat, cui etiam cedere velit nolit cogitur. Omnis caro, carnis ratio, iudicium ac sapientia gramen est: mirum in modum nobis placet, & tantū ut (alias non) opera digitorum nostrorum adoramus. Verum omnis gloria hominis quasiflos graminis, exaruit gramen, flos decidit, verbum autem Domini manet in æternum, sic & tuæ accidit, tum doctrinæ, tum vitæ, hypocrisis eum facit.




# FIGVRA XXI.



**Q**VIETE parta , fracti tui subsidiarij debilitati-  
que canes tui venatici , tempus erit te rursùs in-  
uisere deturbabitur nudus tuus vñà cum pullis tuis , ce-  
des e&g; relinques omnia , præter sententiam tuam , im-  
plicaberis ijslaqueis quos alteri tetenderas , e&g; in æternum  
non ad pristinum deuenies statum , excideris omnino cum  
filiis tuis qui in te sunt , atque nihil in te est vspiam quod  
non rimetur , peragretur , ac destruatur , hoc certò scias .



# FIGVRA XXII.



**E**GREGIA M tu quidem tegis hypocrism, ore  
enim ea non prædicas passim, quæ corde latent tuo,  
hoc autem rursùs. ♂ te non lateat, nihil esse. usque adeò  
teclum quod non aliquando reueletur. Reuelabuntur au-  
tem consilia tua, euidens erit omnibus: conaris quidem nunc  
magnâ astutiâ eos, qui mollia vñâ cum iis qui ♂ durio-  
ra, ♂ castreria gestant indumenta, subigere, res pacis  
♂ belli componere, ♂ ad tuum natum omnia admini-  
strare. Spe hac frustraberis, nihil efficies, frustra inquam  
in sinum quod aiunt gaudebis. Tum tuo sanguine pacare  
rem non poteris. Deus est qui ultionem infliget: noli  
altum sapere; sed time; sed humiliare sub potenti manu Dei.



# FIGVRA XXIII.



**Q**UEM AD MODVM tres personæ in diuina existunt triade & unitate complementur: ita & eadem unitas homines decet. nisi enim unitate doctrinæ tum vitæ homines copulentur, futura est perpetua desolatio, & vastitas. Chaos & confusio omnium rerum; omne enim regnum in se diuisum desolabitur, sic nemo laeditur nisi à seipso: sputum in expuentem recidit, suo regna laborant periculo. Paruae res concordia crescent, discordia maximæ dilabuntur; vanitati subiecta omnia, concordiae vero studendum, ea est, qua regna & Imperia consistunt, ea redibit, lætare & gaudere.



# FIGVRA XXIV.



**C**VIVS MODI est fædus quod pactum est inter  
vos? dispicite ipsi: formæ non sunt eadem , quanto  
minus mentes: diuersa natura diuersum ingenium: in diuer-  
sis itaque animus sibi ipsi constare non potest, hac illac dif-  
fluet , mirabilis natura mirifice induita assumens quod non  
erat, manens quod erat. Externa species vana , vanos ve-  
stros animi affectus repræsentat, verum si rebus vestris vo-  
lucritis esse consultum , bestias exuite , in homines redite ,  
nihil rationi , consilio , atque prudentiæ dissonum statuite;  
reddite cui timorem timorem , cui honorem honorem ; quod  
verò hoc vobis durum esse videatur, bestias vos esse magis  
quam homines videmus, non habentes rerum vestrarum om-  
nium rationem: peribitis itaque consilio atq; stultitia vestra.




# FIGVRA XXV.



**I**N OMNIBVS actibus. debet esse præcipuus. scopus. quidam quo omnia dirigantur argumentorum tela. vt scripti alicuius summa certa haberi possit: verum quia eius rei cognitio in te desiderabatur amphibologica. ambigua & incerta omnia pronunciaras. in tuis laqueis ipse irretitus es. Superuacaneum forte existimabas veram scripturam sigillo munire tuo. Innixus rationi sapientiae. & prudentiae tue. pro arbitratu tuo libero omnia Scepticorum more. ultro citroque differens te ipsum in periculum adduxisti. tuosque omnes suspensos reddis mirabiliter dubios. quare iuxta in arenam ædificantes flebitis & plorabitis.



# FIGVRA XXVI.




**S**I BYLLÆ vaticinium facit Aolici digammatos;  
quare tu F iure. roſæ insertus es, tempus te produxit;  
atque adeo maturum, quid quid prænunciauit de te sibyl-  
la, hoc in te complebitur certo & plus ultra ætas produ-  
cens roſas, tempus hoc nostrum importunum est, quo sur-  
sum deorsum aguntur omnia; itaque perturbatio eviden-  
tissimum signum est humanae inconstantiae: verum tu tibi ip-  
ſi vindique constabis, tua enim omnia erunt firma, fun-  
data supra firmam petram; sicut mons Sion in æternum  
non commoueberis: succendent tibi omnia ex animi tui sen-  
tentia. Ita etiam ut homines ad miraculum usq; stupescant:  
verum hæc omnia tempus ac ætas secum feret. Cum vero  
accesserit, ea quoque accessura sunt, propter quæ venit.


G ij.



## FIGVRA XXVII.




POLYARCHIAM boni viri numquam pro-  
bauere; nam pessimè multorum principatus administra-  
uit res publica: unus Rex, unus Dominus esto, utrorum-  
que oblitis, pestes rerum publicarum in orbem inuaseret pri-  
uata eius imperia, priuatas ac proprias commoditates curant  
de publicis non admodum solliciti, quæ sua sunt querunt;  
non quod aliorum: ideo subiungabuntur rursus, in pristi-  
na frugalitate agnoscentes ex re sua, tum aliorum fore,  
unum esse merum & solidum imperium, atque illud uni-  
cum habebit successum, in omnibus fortuna satis propitia;  
sub eo afflicti, calamitosi, ac miseri exultabunt & gau-  
debunt.




# FIGVRA XXVIII.



**D**I V E R S I diuersa tum sentiunt; tum etiam sta-  
tuunt; quare nil firmi, nil solidi, nec sani conclu-  
dunt: hoc vero volui vos considerare atque diligenter per-  
pendere, quemadmodum circa quadragesimum secundum  
venturum qui vos cingat atque ducat quò nolitis; factu-  
rum quæ illi tum placuerit, flectet vos atque quo voluerit,  
ipse inclinabit vos: Consilia vestra non junt ex eo quem  
prætenditis apud vos esse. Recordamini quām stultæ sint  
cogitationes vestre, impiæ ac vanæ: quod si nouissetis, pœ-  
nam vobis vestræ stultitiæ repositam, procul dubio in die  
illo vestro curaretis, & quæ ad pacem vestram essent, nunc  
vero abscondita sunt à vobis.



# FIGVRA XXIX.



**C**OM MVNIS totius mundi querela est, neminem velle esse sua contentum sorte, suæque inservire vacationi, unde ut extra septa transiliamus, peregrina inuadamus pascua, alterius opes, fortunas, ac facultates, fuco ac specie quadam simplici ad nos pertrahere conamur, atque inde omnis generis lites, dissensiones, ac iurgia oriuntur, verùm eo redigentur res humanæ, ut pastoris aduentu circa quadragesimum tertium, singulæ oues ad singula sua agentur præsepio: unum ouile futurum, iub uno pastore, duce, ac Imperatore, felicissima tunc hora futura est, beatus omnis qui attinget eam.



# FIGVRA XXX.




**C**ONCILIABVL A sanè multa hastenùs habuisti: verum opposita audire nolebas, egregie aduersarium contemnebas, ab entem, præsentem: quare frustra laborasti, & neque hodie te agnoscis, sed præfraelatā & perfrictā fronte eo tendis quò nec peruenire potes, nec debes. Sederes quidem libenter in S. P. Sed & ea corruet & ipse corrues, conarium tuum impediet tibi is, qui Dominus tuus est. Itaque redito ad cor, nihil efficies, vana te lactas atque seducis spe, fieri enim non potest, ut tua ad euentum prosperum deducas consilia: irrita erunt omnia, operam & oleum perdes, tota die ac nocte frustra laborabis, nil capies. Tua enim non quæ Dei sunt curas.



# FIGVRA XXXI.



TANTA & talis futura est omnium rerum renouatio, & mutatio: ut planè aurea sæcula redijisse videantur, ubi planè puerilis eandor, simplicitas, ac integritas regnabit, explosis omnibus versutijs, astutijs, & insidijs hominum: atque breui, tametsi illud quadragesimum multis videatur sæculum, tamen veniet: fieri enim non potest, ut omnia mala quæ effudit in orbem uniuersum Leo rugiens, ictu oculi & momento exterminentur, paulatim decrescent: ita tamen ut pauca quædam suberunt priscae vestigia fraudis, bene beatéque viviturus is est, qui ad eam vitæ innocentiam peruenturus est.




# FIGVRA XXXII.



**M**ULTO sudore, & labore conatus es reformatore mundum, magnus ut ab integro nascatur sacerdorum ordo, merito itaque exacto labore quiesces, felix is futurus, qui sub hac quiete & somno proditurus es, malum enim non videbit: omnia tunc erant pacata, restituta, ac in integrum redacta. Nemo potuit tuos sanctissimos conatus impedire: idoque nemo sit qui te excitet modo, donec compleatur numerus quem annumerabant inimici tui à diebus nativitatis suæ. Tum peccatum rursus abundabit, refrigerescet charias, peribit fides, ac mundi finis aderit.

FINIS.





EXPOSITIO BREVIS  
PROGNOSTICATIONIS  
EXIMII DOCTORIS  
THEOPHRASTI  
PARACELSI  
CORONIDIS VICE AC  
CONCLVSIONIS LOCO:  
adiecta.



R D I N E recensuimus nostræ Astrologicæ  
considerationis triginta duos typos , per  
quadraginta quatuor annos duraturos , at-  
que eos vix , nimiò quidem data opera , at-  
tigimus : ea enim debent esse ad tempus  
vsque suum tecta , & obscura , non cuiuis nota . Intelli-  
gentibus quidem satis dictum est ; iis enim scribimus :  
quare brevis esse labore , sed obscurus : nam si pro di-  
gnitate ac rei necessitate , quamuis eorum Typorum for-  
mam explicare ac tractare conarer , & dies & papyrus  
deficeret . Singuli enim loci , singulos requirerent libros ,

atque adeo iustos ac plenos. Ordior, omnia sub inuolucro mala impendentia, quæ astra portendunt atque minantur, tradita sunt breuissimè. Pro maiore tamen intellectu, ut nonnullis inseruuiamus, instituimus aliquot capita tractare, atque paulò apertiùs declarare. Prima figura intelligenti satis nota. Secundum huius typi membrum, forma lilio similis est; verum si rem altius perpenderimus, ranunculæ vel si mauis, bufones sunt: lilyum enim magico signo paulatim in ea decreuit animalcula. Quemadmodum enim eiusmodi bestiolæ tumore atque efflatione, boues magnos æquare conantur, dum rumpantur, ita fastuosi & elati se plus nimio efferrunt, donec pereant, deprimantur, ac humilientur. Esto verò quod sit lilyum, atque hoc interim te non lateat, quod domesticum non est, sed sylvestre, vepribus implicatum: omnibus enim suum inuidet odorem, mirabili cruciatur inuidiâ. Atque inuidia Siculi maius non inuenere tyranni tormentum, ait Poëta, ita miserè suis spinis ipsum conficitur, configitur, atque suffocatur Lilium; atque si se sic omnia hæc habere quidam sentirent, inteligerent, ac crederent, gaudium eorum in luctum subito conuerteretur, flerent potius quam riderent. Verum cum hæc futura illis non sint cordi, veniet super eos calamitas, angustia, atque extrema omnium rerum desperatio. Deseretur, atque derelinquetur ab omnibus fœderatis, & sociis suis, qui haec tenus in delitiis habitus est ab omnibus: inanientur ergo eius vires, & à ventura irasci liberare non potest, nolim tamen ut hostis quantumvis fractus contemnatur; opus est in hac re magnâ prudentiâ. Omnia tantum degusto ac deumbro, si liceret ut diximus initio omnia non vniuersaliter, sed particulariter fusius prosequi, multa aperirentur rerum incommoda. Huius verò tragœdiæ sequentia capita, ad octauum usque, multa humana ac peregrina quærent consilia, adminicula, & auxilia, fœdera fœderibus, fœderibus

fœdera iungentes, donec illis paratum calicem eibant  
& paratam in conspectu Dei mensam degustent: refec-  
tionem quidem, refocillationem, ac consolationem in  
humanis statuent, sursum deorsum acturi omnia, om-  
nem moturi lapidem, ædificaturi, destructuri, atque im-  
probè laboraturi. Verum extra Deum, ut nulla salus, &  
liberatio, ita nec requies, nec tutum asylum, utinam sa-  
perent, ac intelligerent homines, & nouissima dispice-  
rent, ac paulo altius considerarent. Quidquid agas,  
prudenter agas, & respice finem. Inuoca me inquit Do-  
minus (non quære brachium sæculi, maledictus qui  
confidet in homine) & liberabo te, eripiam te, & glori-  
ficabo te. Nolite confidere in principibus in quibus non  
est salus. Octauum vero caput regnabit, & triumpha-  
bit; nam necesse est in terris extare imperium, ad quod  
se applicent, ac componant, reliqua omnia membra.  
Nam qui fieri posset, ut tranquillitas humanæ vitæ, se-  
curitas, pax & iustitia versarentur inter aliquos morta-  
les ac miseros homines, vbi non huius nutu, & dīgituli  
crepitu authoritas & capitis huius maiestas appareret,  
atque rursus hoc caput in reliqua se se diffunderet mem-  
bra, quæ postea iussu huius retinerent humana, aspirante  
diuinâ grariâ. Compertum est nostro periculo graui,  
quàm mundus apostasiâ perierit, vbi unusquisque decli-  
nauit in viam suam, sua quærens, relinquens publica.  
Nemo debet obliuioni tradere vocationem suam, quâ  
vocatus est super terram. Quantum ad nonum attinet,  
salutaris est quandoque ferula. Quis pater qui non ali-  
quando redarguet filium suum? redibis ad percutien-  
tem te. Necesse est ut minetur, ac incuruetur super te  
virgula; verùm in rectitudinem assurget, non enim vi-  
detur esse consultum ut nemini quicquam retineatur.  
Sub ferula eris, & illa castigabit te, & emendaberis;  
quare æquo feras animo, feras, non culpes quod mutari  
non potest.

Sequens pictura , pœnitentiam exigit in cinere & facco , exemplo Niniuitarum , qui ad prædicationem Ionæ resipuerunt , frustra se suâ iustitiâ mundabunt ; necesse est vt doctrinæ & vitæ peccatum agnoscant . Cùm ad Dei iustitiam & notitiam quâ iustificabit impium , confugiant . Suo succo , aprorum more , vivere miserum est . Brutum ac bestia es , ratione cares . Sapiens te ad formicam remisisset , quæ aestate victimum parat , vt sit hyeme vnde viuat . Verùm tu te ipsum neglexisti , posteritati tue non prospexisti , fame , cum filiis tuis qui in te sunt , & frigore conficeris . Totum hoc nostrum prognosticon mirabiliter approbat Diua virgo cuin canit , detraxit potentes de sedibus . Itaque nemo miretur , cum his oculis suis , cernit quotidie impossibilia , vt rationi videntur accidere . Quæsitus est Diogenes . quid Deus in cœlis ageret ? respondit deiicit alta , humilia euchit . Humiliamini itaque potentes sub potenti manu Dei : vt exaltemini in æterna vita , nisi malitis experiri id quod scriptura habet , Potentes potenter tormenta patientur .


Nembrotea consilia robustiorum venatorum in terris condescendunt altitudinem cœli ; conantur , vt olim , Gygantes Iouem cœlo deturbare , ac deiicere : turre Babylonicas extruunt , quibus se munire conantur aduersus Deum & hominem . Verùm vbi disiecit & dissipauit tum Deus confusionem linguarum eorum studia , ita & nostri frustrabuntur , & stultitiae pœnas dabunt ; Velis nolis ventis expositus , illi te hâc illâc agitat : non potes munitiones , turres , atque factalitia illi exponere ; longè inferior eris eo , qui de te triumphabit . Quis nouit consilia Dei , nisi spiritualis , qui etiam profunditates perscrutatur , omnia indicat , à nemine iudicandus : homines vix sciunt quid in homine sit , & ad quem terrenum & scopum dirigere omnia debeant . Cum verò in solius Dei manu omnia consistant , quâ fortitudine , quibus viribus ,

aut consilio , homo quicquam tentare aut aggredi potest; fragilis arundo, & cicuta est hominis vis & potentia. Omnes qui in te confidebant, corruent, peribis cum illis: nam cum propriam tuam domum purgare non poteras, atque tuis & præesse & prodesse, quam spem alij de te concipere possunt. Omnes qui bella volunt, deficient, ac ab incepto desistant: nam ad pacem, & ad vitæ tranquilitatem dirigentur omnia: itaque fœdera , pæta, ac conuenta soluentur. Delestatibus puer, super foramine aspidis, ludet agnus cum lupo, falces in vomeres concidentur, irrita perpetuâ soluent formidâne terras Occidet & superas & fallax herba veneni. *I*ñcultisque rubens pendebit septibus vua. Longum foret singulas persequi figuræ, Omnes, ad simplices usque pueros, ceu uno face complectamur, & prognosticamus simpliciter filiis hominum Deum plus satis indulsisse, vt est patiens, longanimis, & multæ miserationis; Verum tarditatem gruitate compensabit. Solem sinit oriri, dans pluuias, implens corda nostra gaudio & lætitia; Verum ingratii homines contemnunt diuitias bonitatis, tolerantiae, & lenitatis eius, ignorantæ quod clementia illius eos ad pœnitentiam inuitet. Resipiscant igitur, vt non in ventum & in vanum laborent, neque diffidant: namque diffidentia fidei hostis perniciosissimus: illuminabit eum, Sol, qui primus est in lite sua accusator sui. Redibit quilibet ad vocationem suam, ad aratum suum , ad officium, vocationem & functionem suam: ad pristinam simplicitatem & puerilem candorem. Qui sapienter tolerabiles conditiones pacis instituit, ipse in pace quieuit. Sapienter numero verò excitatus, surgente eo, dissipati sunt omnes inimici eius; contremuit terra, omnesque ingemuere creaturæ: is est qui euertit, erigit, destruit, reficit, transfert, & regna funditus tollit : omnia quæcumque voluit fecit. Instituit cum filiis hominum agere per quadraginta quatuor annos, tum rursus ad quietem se se componere; & inclinare. Verum iij anni erunt illi tanquam dies he-

sternus , qui præteriit; omnia in eis perficiet. Iam hic rursus alium inuader, corripiet, emendabit, aut euertet. Quis vero sit dormienti similis, nemo suspicetur; te&tum est nomen eius, non memorabitur. Coniecturæ, ut fallant, ita fallentur, *exitus acta probat.*

Quare omnes qui hoc nostrum prognosticon lecturi sunt, meminerint neminem nomine esse perstriatum; suspicione itaque carere voluimus: Testa, obscura, atque ignota modo sunt; cum verò acta, transacta sunt omnia, tunc liberè iudicabunt homines etiam nomine proprio adiecto, citra periculum. Tamen velim omnes admonitos, ne putent ad se nihil attinere, existimant plurimi se sedere in scapulis Dei, nescientes se esse abominationem coram Deo, proinde prognosticatam pœnam non effugient, admoniti verò cum resipiscant, emendabuntur: sed emendandi tantum, euertendi euertentur. Propitius Deus, auerat omnia impendencia mala, per filium suum dilectum Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

F I N I S.



1380-907



